



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. XIX. An idem possit producere seipsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

VII. Dices quartò ; hæ duæ actiones totales naturaliter pugnant inter se , ergo non potest Deus efficere ut sint simul , sic enim tollere deberet hanc earum oppositionem & repugnantiam , quam tamen tollere non potest , cum sit ipsa sola earum entitas . Confir. Deus per suam voluntatem solam non potest efficere ut formæ , quæ sibi opponuntur , non opponantur , sicut efficere è contrario non potest , ut se invicem opponantur , ut v. c. calor albedinem , vel frigus lucem ex eodem subjecto expellat .

VIII. Hæc obiectio non caret difficultate . Ad argumentum tamen & confirmationem Resp. Deum non tollere naturalem actionum istarum repugnantiam , sed , illa non obstante , efficere , ut se invicem compatiantur , non per meram suam voluntatem , sed producendo in illis duas durationes homogeneas , seu ipsas determinantes ad certum aliquod instans : per has autem supernaturaliter productas determinan-

tur hæ duæ actiones , ut simul afficiant eundem terminum , quem naturaliter afficere non possunt . Sicut per duas ubicationes homogeneas duo corpora naturaliter impenetrabilia penetrantur inter se , & in eodem loco statuuntur .

Urgebis , eadem est difficultas de durationibus illis homogeneis , cum enim naturaliter sibi invicem repugnent , non potest Deus efficere ut sibi non repugnent . Resp. non efficere Deum ut naturaliter non repugnent , sed per voluntatem hanc supernaturalem illas in genere causæ efficientis producere , & eas ipso facto sibi reddere coexistentes : cum enim indifferentes non sint ut existant ; & non existant simul (quam tamen indifferentiam habent duæ actiones totales) idem est velle illas supernaturaliter , & velle ut supernaturaliter sint simul , ut ex naturâ durationum constat .

IX. Differentia inter duas durationes , & duas actiones totales .

DISPUTATIO XIX.

An idem possit producere seipsum.

SECTIO PRIMA.

Quid hac in re sentiendum.

I. **Q**uestio procedit quoad secundum esse , seu utrum à re per unam actionem à solo Deo , vel agente aliquo creato productâ , possit nova actio procedere ad eandem rem terminatâ , quâ se secundò producat : nam non posse rem ullam se primò producere certum omnino est ; cum enim prius sit esse quam operari , quidquid agit ; debet pro aliquo priori supponi existens , ergo ante omnem operationem est , ergo per illam actionem non primò accipit esse . Conf. actio productiva rei est physica , ergo procedere debet à principio physice existente . Conf. secundò , non potest aliquid elevari ad agendum nisi existat , cum quicquid elevatur , supponi debeat tanquam fundamentum elevationis .

II. Deinde , non posse quidquam secundò se producere naturaliter , non minus videtur certum : cum enim una res non possit aliam jam per unam actionem ab aliqua causâ productam , stante illâ actione , denuò producere , multò minus id præstare poterit idem respectu sui ipsius . Ratio universim est , quia , ut dixi d. præc. f. 4. sine , cum actio ordinetur ad rem à parte rei , seu extra causas ponendam , & hoc perfectè præstetur per unam actionem totalem , alia esset superflua . Quærimus itaque utrum res existens per unam actionem , elevari divinitus possit ad se secundò per actionem aliam producendum .

III. Prima sententia est P. Vasq. Card. de Lugo d. 7. de Eucha. sect. 2. n. 21. P. Moncæi d. 10. c. 16. P. Oviedo c. 9. p. 10. P. Hurt. d. 9. Phy. f. 13. ubi mordicus defendit non posse rem ullam obedientialiter elevari ad se secundò producendum , quia hoc posito , non possemus , inquit , in Divinis productionibus probare distinctionem trium personarum . Quam sententiam multi sequuntur ex recentioribus .

IV. Dico primò : potest aliquid tanquam causa moralis se secundò producere . Probat , nam juxta communem sententiam Theologorum , Christus meruit suam resurrectionem , ac proinde ut existens in uno tempore meruit existentiam sui pro alio , unde & Angelus existens in uno loco vel tempore , mereri

potest existentiam sui in alio , vel per novam ubicationem , vel etiam reproductionem . Ex quibus infero , nullam apparere repugnantiam quo minus possit etiam mereri ut per aliam actionem à Deo producatur , vel conservetur in eodem loco retinendo adhuc priorem actionem , per quam antè conservabatur .

Dico secundò : non repugnat idem elevari ad se secundò physice producendum . Ita Suar. To. 3. in 3. p. d. 5. o. sect. 4. & plurimi ex recentioribus . Ut æquivocatio , cui hæc questio obnoxia est , tollatur . Notandum primò , quando dicimus aliquid producere se quoad secundum esse , non quoad primum , non esse ita intelligendum , quasi in re sint duo esse , seu duæ essentia , vel existentia , hoc enim falsum est , cum à parte rei nihil sit aliud quam unica indivisibilis entitas , quæ , ut primò producitur , dicitur accipere primum esse , ut deinde per aliam actionem à priori aliquo modo dependentem secundò producat , dicitur accipere secundum .

Notandum secundò , non debere has actiones merè se habere disparatè , sed secunda aliquo modo dependere debet à primâ , & illam supponere . Unde si Deus vel primo instante , vel sequentibus rem aliquam per duplicem actionem totalem à se invicem independentem produceret , neutra esset prima vel secunda hoc sensu , quantumvis una aliam , etiam tempore , præcederet . Hæ ergo duæ actiones talis sunt naturæ , ut Angelus utramque intuens videat esse essentialem inter utramque subordinationem , & quæ sit prima , quæ secunda ; videt enim procedere secundam actionem à re illâ ut existente , ac proinde rem illam necessariò actionem aliam supponere productivam vel conservativam sui ; cum esse nequeat à se . Et in hoc disparitas est inter actionem quâ res secundò producit se . & quâ effectus secundò producit suam causam : illa enim actio ita est secunda & dependens ab aliquâ aliâ , ut esse non possit prima & independens ; actio verò quâ effectus producit secundò suam causam , licet de facto mediâtè ab aliqua actione quâ causa producitur , dependeat , posset tamen esse prima , & ab omni actione productivâ causæ illius independens , cum per accidens sit quoddam principium à quo hæc actio procedit , dependeat ab illâ causâ : licet enim ignis A de facto primò pro-

V. Potest aliquid se secundò producere physice .

VI. Quid sit rem productâ secundò .

VII. Una actio aliam naturam a ordine supponit .

Videt Angelus quæ actio sit prima , quæ secunda .

Dices , pugnant duæ actiones totales naturaliter .

Resp. ostendo quomodo Deus efficiat ut hæ actiones non repugnent .

Proponitur sententia questionis .

Certum est nihil posse producere se primò .

Nihil potest naturaliter producere se secundò .

Prima sententia negat posse aliquid divinitus producere se secundò .

Questio aliquid ut causa moralis se secundò producere .

producat ignem B, potuisset tamen e contra ignis B. primò producere ignem A, idque per eandem actionem per quam eum modò producit secundo.

VIII.
Res ad hoc
elevari po-
tèst etiam
primo in-
stante, quo
existit.

Notandum tertio, non satis consequenter loqui illos qui concedunt posse rem aliquam elevari ad se denudò producendum secundo instante, vel aliis postquam est producta, non tamen primo instante suæ productionis. Hoc, inquam, non satis consequenter dicitur, primò, quia tam res est primo instante, ac ullo alio, ergo sicut sol potest naturaliter producere lucem primo instante quo est, ita quidem elevari potest obedientialiter ad secundo se eodem instante producendum? Deinde non vitant difficultatem; ideo enim asserunt non posse rem primo instante quo est, elevari, quia non potest tunc intelligi cum sufficiente prioritate, sed contra hoc est, nam tam in secundo instante, quam primo debet intelligi prius, quam operetur, quoad influxum enim physicum perinde se habet existentia rei in instantibus præcedentibus, ac si omnino non fuisset, si eo instante non sit. Debent ergo ipsi in secundo, vel alio quocunque instante assignare prius & posterius naturæ, & rationis, ergo & assignari illa poterunt in primo; cum enim, ut dixi, totum tempus præcedens eodem modo se habeat, atque si non fuisset, perinde est ad elevationem, atque si hoc instans esset primum.

IX.
Hæc eun-
da actio est
ordine na-
ræ conser-
vatio.

Notandum quartò, actionem illam quæ res secundo seipsam producit, si spectemus ordinem naturæ, posse vocari conservationem: sicut enim in duratione reali illa actio est conservatio quæ ponitur post primum instans realis durationis, estque tempore posterius primà, ita & illa actio ordine naturæ non incongruè dici poterit conservatio, quæ licet non tempore, naturâ tamen est posterior, qualis est hæc secunda actio, utpote quæ essentialiter supponit aliam se priorem; procedit enim, ut dixi, à re, ut pro aliquo priori existente, ergo ut habente aliquam actionem sui productivam. Imò magis essentialiter est conservatio ordine naturæ, quam alia ordine temporis, illa quippe potuisset ordine temporis esse prima rei illius productio, hæc verò nec per potentiam absolutam potest esse prima productio, cum necessariò supponat aliam actionem, ut ostensum est.

X.
Probatur
posse aliquid
elevari ad
se secundo
producen-
dum.

Probatur itaque conclusio: præcipua ratio cur idem non possit primò producere seipsum, ut initio sectionis vidimus, est, quia ad operandum prærequiritur existentia: qua de causâ nil potest primò se producere, nam ante productionem illam, (cum sit actio) requiritur existentia rei, ex quo manifestè sequitur non posse rem illam dare sibi primum esse: sed hæc ratio hic non urget, ergo. Probatur minor, ad hanc secundam actionem præsupponitur res existens per primam, cum per illam independentè ab hac secundâ ponatur extra causas, ergo pro illo priori habet sufficienter existentiam, & aptitudinem ad operandum, & sit principium secundæ actionis. Conf. potest effectus elevari ad secundo producendam suam causam, ut postea videbimus, ergo & idem ut se secundo producat, nec enim multò plus incommodi ex hoc sequitur, quam ex illo, ut ex argumentorum solutione constabit.

XI.
Præcipua tamen conclusionis hujus probatio (sicut & aliarum omnium quæstionum, quæ procedunt de potentiâ absolutâ) est argumentorum solutio, quam ponemus sec. sequente.

SECTIO II.

Argumenta contententia non posse idem secundo producere seipsum.

Objicies primò; hinc sequi, idem esse prius se id enim quod aliud producit, necessariò esse debet prius productò. Conf. hinc enim sequeretur, idem dependere à se. Resp. primò, idem argumentum fieri posse de duabus causis mutuò se quoad secundum esse producentibus. Distinguo itaque antecedens, sequitur idem esse prius se quoad primum esse, seu quoad primam actionem, nego antecedens; quoad secundam actionem, concedo: in hoc autem nihil implicantiæ, cum jam res illa pro aliquo priori sufficienter existat, ad operandum. Ad Confirmationem dico, dependere à se non simpliciter, sed secundum quid, seu quoad secundum esse, hoc autem non est propriè & simpliciter dependere, cum dependentia strictè sumpta dicat non posse rem sine actione illâ, vel aliâ simili existere, quod, quoad secundam actionem, hic non contingit, ut constar. Esse itaque rem per unam actionem priorem se ut per aliam actionem, solum est esse priorem actione quâ secundo producitur, seu prius esse uno titulo quam sit alio: unde per primam simpliciter existit à parte rei antequam ponatur secunda, per secundam autem non existit res simpliciter, sed solum secundum quid.

I.
Quomodo
res se secun-
do produ-
cens sit
prior se.

Quid sit
aliquid in
hoc casu
prius se.

Objicies secundo; ex hac doctrinâ valdè enervari mysterium Sanctissimæ Trinitatis, si enim non requiratur distinctio inter principium producens, & rem productam, ex duabus processionibus non argueretur esse tres Personas, duas productas, & unam improductam, quæ sit origo totius Trinitatis; dici enim posset Verbum jam existens per generationem producere se secundo, & sic erunt duæ processionès & tantum una Persona producta. Nec satisfacit si respondeas, non posse idem producere seipsum nisi per elevationem, & potentiam obedientialem, quæ in Deum cadere non potest: hoc, inquam, non satisfacit, dici enim posset ea quæ creaturis sunt supernaturalia, esse Deo naturalia, ut sunt impeccabilitas, visio Dei &c. Unde vel prima, vel secunda Persona in Divinis naturaliter producere posset se secundo, sicque ex duabus processionibus non argueretur Trinitas Personarum.

II.
Obj. hæc
doctrinam
enervare
mysterium
Trinitatis.

Sed contra primò, nam juxta auctores contrariæ sententiæ, elevari potest effectus ad secundo producendum principium, à quo primò fuit productus, ut ignis B productus ab igne A, elevari secundum ipsos potest ad secundo producendum ignem A: si ergo liceat à creatis argumentum deducere ad increata, quare non poterit Filius à Patre productus producere secundo Patrem? non obstat elevatio, quia quod creaturis est elevatio & supernaturale, est, secundum adversarios, Deo naturale, ergo ex duabus productionibus non licebit arguere esse tres Personas in Divinis; sicque quod tam operosè stabilire contendunt, ex suis ipsi principiis destruant.

III.
Variis in-
stans in-
corquatur
argumentis.

Contra secundo; communissima est sententia, quam etiam admittunt plerique ex adversariis, posse rem eandem in creatis supernaturaliter produci duabus actionibus totalibus, ergo si quod supernaturaliter convenit creaturis, possit naturaliter convenire Deo, poterit Pater secundo producere Filium, & sic ex duabus productionibus non arguetur Trinitas Personarum, vel etiam Filius secundo vel tertio producere posset Spiritum Sanctum, & sic non duæ solum, sed plures essent productiones in Divinis.

IV.

Ad

V. *Argumento supra posito satis fit.*
 Ad argumentum itaque Resp. licet in creatis possit idem elevari ad secundum producendum seipsum, quemadmodum & ad producendum principium à quo producitur, sicut tamen secundum in Divinis reperiri non potest, ita nec primum. Admittendo itaque, quod est verissimum, non posse quidquam in Deo esse ipsi supernaturali, nihilo omnino ex nostra sententia infringitur mysterium Trinitatis, qui solum dicimus posse supernaturaliter hoc fieri, non naturaliter: sicut autem ex eo quod supernaturaliter possit in creatis vel idem se, vel principium productivum sui secundum producere, non sequitur posse id præstare naturaliter, ita nec sequitur posse illud reperiri in Deo, cum si bibelet, esset naturaliter. Ratio autem est, quia in ijs quæ naturaliter fiunt, quando est una actio sufficiens, alia sive totalis sive partialis est superflua: sicut autem in natura, ita multo magis in auctore natura debet superflua.

Et licet in creatis possit Deus ad ostendendam suam potentiam, efficere ut res secundum producat se, non tamen potest in Divinis hunc sibi finem præfigere, cum omnis operatio ad intra in Divinis sit necessaria, & consequenter, nisi naturaliter hoc habeat, non potest id efficere, naturaliter autem hoc non habet ob rationem dictam, ergo. Dices, est finis sufficiens, nempe ut Filius sit etiam à se, ergo potest hoc habere sine superfluitate, & consequenter naturaliter. Contrà, secundum hunc modum philosophandi quot processiones haberemus in Divinis? nam iterum novus finis esset ut Filius procedat à Patre simul & Filio, ut Filius producat Patrem, ut vel Pater Filium, vel Filius Patrem duplici actione producat, & sic de cæteris, atque ita nec finium, nec processioinum esset finis.

VII. *Patres raris morientur quæstiones de potentia absoluta.*
 Objicit tertio, Patres frequenter asserere nihil posse producere se, & ex hoc principio deducunt distinctionem Personarum in Divinis. Sed contrà primo, nam ut notant communiter Theologi, rarissimè Patres movent quæstiones de potentia absoluta, ac proinde quando dicunt non posse idem producere se, intelligunt secundum vim nativam rebus à natura insitam. Et hoc sufficiebat ad eorum intentum, ut proximè ostendimus: si enim nihil se naturaliter possit producere, & Deus quidquid agit, agat naturaliter sequitur apertè, si Pater ad intra aliquid producat, debere esse ab eo distinctum.

Contrà secundò non minùs, imò magis frequenter dicunt Patres non posse creaturam creare, sed hoc esse proprium Dei, & tamen plurimi ex adversarijs docent, posse creaturam supernaturaliter creare, & mentem Patrum explicant, velle ipsos esse proprium Dei creare naturaliter.

VIII. *Argumentum ex processione Spiritus sancti.*
 IX. *Respondetur objectioni.*
 Objicies quartò, secundum Theologos communiter, si Spiritus Sanctus non produceretur, seu procederet à Filio, non distingueretur ab illo, ergo ideo distinguitur quia procedit, ergo productio est signum sufficiens distinctionis, ergo nihil potest producere seipsum. Distinguo ultimum consequens, ergo nihil potest producere seipsum naturaliter concedo consequentiam (nam illa actio foret supernaturalis, productio autem Spiritus Sancti est naturalis) ergo nihil potest producere seipsum supernaturaliter, nego consequentiam.

X. *Argumentum à veritate causæ materialis.*
 Objicies quinto, repugnat aliquid esse causam materialem vel formalem respectu sui ipsius, ergo & se producere effectivè. Contra primò, possunt secundum adversarios duæ causæ, forme ignis v. g. elevari ad se secundum producendum efficienter, quidni ergo in se informandum vel recipiendum? Diversissima ergo est ratio de causâ materiali ac formali, & de efficiente.

XI. Disparitas autem est, vel enim est sermo de re

aliquâ completâ, Angelo ex. g. & secundum omnes non potest esse causa materialis, vel formalis respectu alterius Angeli, cum sit quid completum, multo minùs respectu sui: vel sermo est de re incompletâ, & de hac eadem videtur ratio, vel enim est materia, & tunc non potest fieri forma nec divinitus, magis quàm homo equus, vel est forma, & hæc vicissim fieri nequit materia, sicutque nec ab aliâ formâ substantiali informari.

Objicit sextò P. Valq. sequeretur rem eandem simul esse in fieri & facto esse. Quòd sit in facto esse, patet, cum tunc operetur, esse autem est prius quàm operari; quòd verò etiam sit in fieri, probatur, tunc enim producitur, ergo simul est in fieri; & facto esse. Contrà primò, idem quoad hoc est de duabus causis se invicem quoad secundum esse producentibus, ut discurrenti patebit. Contrà secundò, hoc enim probaret nec solem posse operari primo instante quo est, sequeretur enim esse simul in fieri, cum tunc producat, & in facto esse, cum tunc operetur, prius autem est esse quàm operari. Resp. itaque respectu diversæ actionis id non esse inconveniens, unde respectu primæ actionis est in fieri, respectu secundæ in facto esse.

Urgebis, etiam respectu ejusdem actionis est in fieri & facto esse, nam respectu secundæ actionis est in fieri, cum ab illâ producat secundò, est etiam simul respectu illius in facto esse, cum res illa supponatur ad ipsam existens, utpote illius principium, ergo. Distinguo primò antecedens, est in fieri & facto esse respectu ejusdem actionis, hoc est, per eandem actionem est simul in fieri & in facto esse, nego antecedens; est in fieri & facto esse respectu ejusdem actionis, id est, est in fieri formaliter & secundariò respectu illius, in quantum scilicet per illam secundariò producitur, & in facto esse respectu illius præsuppositivè, per aliam scilicet actionem, per quam prius naturâ producitur independentè ab hac, concedo: sed hoc nihil contrà nos, ut constat.

SECTIO III.

Tres alie difficultates circa elevationem rei ad producendum seipsum.

Objicies septimò, non potest idem esse Dominus aut Rex sui, ergo nec se producere. Resp. primò, ad rationem Domini, & Regis ex communi consensu omnium requiri distinctionem voluntatum, ob superioritatem, quam habere debent in subditos, & relationem, quæ requirit terminos distinctos. Secundò dico, mihi non videri improbabile, sicut juxta satis communem sententiam potest quis in duobus locis divinitus constitutus peccare, & alia facere in uno loco & non in alio, ita & posse eum in uno loco constitui dominum, regem, & superiorem sibi ut in alio, cum non ubique eandem necessariò servet vitæ conditionem. Ad hoc autem, sicut & ad alia, sufficit virtualis distinctio voluntatum, sicut idem in duobus locis esse potest superior sibi localiter, ut est manifestum. Et hinc infero, saltem posse aliquid elevari ad se in diverso loco constitutum secundum producendum.

Objicies octavò, definitur causa esse id quod insluit esse in aliud: ergo nihil potest producere seipsum, sic enim esset, & non esset causa. Cont. producens & productum sunt correlativa, ergo distinguuntur. Ad argumentum Resp. latius extendi hoc quòd est producere, quàm esse causam, ut patet in Divinis: unde dicimus, casu quo idem elevaretur ad producendum se, non esset causa in hac strictâ acceptione causæ.

assignatur in ea causas d. Pariter.

XII. *Objicitur idem esse in fieri & facto esse.*

Instantia objectionis.

Argumenti solutio.

XIII.

An respectu ejusdem actionis res sit in fieri & facto esse.

I. *idem non potest esse Dominus respectu sui.*

Homo ut in uno loco Rex sui ut in alio.

II. *Arguitur ex definitione causæ. Respondetur.*

V. Nil in Deo esse potest Deo super-naturale.

Sicut Natura, ita multo magis auctor natura in se abhorret superfluum.

Patres raris morientur quæstiones de potentia absoluta.

Argumentum ex processione Spiritus sancti.

Argumentum à veritate causæ materialis.

XI.

causæ, sed solum principium.

III.

*Correlativa
solum sunt,
ea quæ pro-
ducunt &
producentur
naturaliter.*

Ad confirmationem Resp. etiam actum & obiectum esse correlativa, & tamen potest actus aliquis esse obiectum sui, ut constat in hoc actu, *omnis actus intellectus est spiritualis, simplex qualitas &c.* Deinde, distans dicit relationem aliquam ad id à quo distat, & tamen quando idem est in duobus locis, non dicit relationem ullam distantiam ad se. Dices; res ut distans à se dicit relationem ad se formaliter ut distans, seu ad formam per quem distat. Contrà, sic etiam dicere poterit relationem ad se ut productum, seu ad formam per quam producitur. Verum ergo habet dictum illud in productionibus tantum naturalibus, has enim solas novit dicti illius auctor Aristoteles. Reductivè tamen & improprie hinc dici possunt producens & productum correlativa, in quantum scilicet similitudo quædam intercedit illius productionis quæ res una aliam efficit. Aliqui tamen dicunt ad hoc sufficere virtuales distinctionem extremorum, ut numero 1. insinuavi de Rege, & Domino.

IV.

Obj. secundam actionem fore superfluam, cum supponat suum effectum.

Objicies novò; sequi ex nostrâ sententiâ dari formam quæ essentialiter supponat suum effectum formalem prius communicatum. Probatur sequela, hæc secunda actio necessariò supponit rem productam per aliam actionem, ergo præsupponit suum effectum formalem, hoc autem non magis videtur fieri posse, quam ut detur albedo quæ in subiecto præsupponat aliam albedinem, quod ab omnibus censetur magnum inconveniens. Sed contrà, licet enim censetur inconveniens ut detur forma, quæ supponat effectum suum formalem adæquatum, non tamen quæ supponat effectum inadæquatum, quod omnes qui statuunt heterogeneitatem in intentione accidentium (quod præstant plurimi ex adversarijs) admittere debent in albedine & alijs qualitibus, secundus enim gradus albedinis non minus est albedo, & denominat subiectum album quam primus, & tamen naturaliter supponit primum, & subiectum jam esse album.

V.

Tam secundam actionem dat novum effectum formalem, quam secundus gradus albedinis.

Dices primò; secundus quidem gradus albedinis supponit primum, sed tribuit alium effectum formalem, nempe reddit subiectum intensius album. Contrà, etiam hæc secunda actio dat effectum formalem saltem inadæquatè diversum, licet enim sit actio, est tamen diversæ rationis ab alterâ, & potius conservatio quædam illius rei, quam prima produ-

ctio. Imò major esse videtur diversitas inter hanc secundam actionem & primam, quam inter primum, & secundum gradum albedinis.

Dices secundò; secundus gradus albedinis supponit primum solum naturaliter, unde per potentiam absolutam potest esse sine illo: at verò hæc secunda actio ita essentialiter supponit primam, ut nec divinitus existere sine illâ possit. Contrà primò, si in naturalibus detur forma, quæ connaturaliter semper supponit suum effectum, saltem inadæquatum, quidni divinitus dari aliqua poterit, quæ effectum suum formalem inadæquatum supponat, etiam in ordine ad potentiam absolutam?

Contrà secundò, ab omnibus admitti debere videntur formæ aliquæ quæ ita effectum suum inadæquatum supponat, ut eo non præsupposito, nec divinitus existere possint. Ex. g. effectus adæquatus unionis inter animam & corpus est reddere partes illas essentielles hominis peculiari modo intimè sibi invicem præsentem, in ordine ad unum compositum constituendum, & operationes sensitivas eliciendas, & tamen ita per duas ubicationes has partes intimè sibi invicem præsentem supponit, ut ubicationibus illis non suppositis, existere unio non possit, nec divinitus. Idem est in opinione statuente figuram esse modum ab ubicationibus distinctum, collocantem certâ ratione partes in ordine ad se permanentem, qui tamen modus sine ubicationibus idipsum inadæquatè præstantibus produci nequit. Quod etiam de subsistentiâ totali, si sit modus, dici similiter debet.

Quòd verò effectus formalis hujus secundæ actionis sit inadæquatè diversus ab effectu formali primæ, probatur, licet enim utraque sit productio, alio tamen modo producit rem secunda quam prima, & per modum potius conservationis quam primæ productionis. Deinde, actio non solum respicit terminum sed agens, unde licet ex parte termini nihil appareret diversum in effectu formali unius actionis ab effectu formali alterius, sufficeret tamen ad illius possibilitatem diversitas effectus formalis prout respicit agens. Cum itaque secunda actio denominet rem illam exercentem quasi potestatem quandam supra seipsam, quod non facit prima, habet effectum formalem inadæquatè ab illâ distinctum, & sufficientem ut super naturaliter ejusmodi actio poni possit.

DISPUTATIO XX.

De prioritare causa respectu effectus.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa prioritatem prænotantur.

I.

Prioritas triplex. Temporis. Rationis.

Natura.

Prioritas quoad præsens, triplex est: temporis, ut pater in creatis est prior tempore filio, dispositiones formæ, si ultimam exceperis: rationis, cum scilicet in re realiter eadem conceptus varios distinguimus, ubi universales semper sunt priores, quia simpliciores: invenitur tamen nonnunquam prioritas rationis inter prædicata quorum unum non latius patet altero, ut in Divinis intellectio est ratione nostrâ prior volitione, immutabilitas æternitate. Tertia demum prioritas est *prioritas naturæ* quando sc. unum verè pendet ab alio, quam prioritatem præcipuè hic declarandam suscipimus.

Aliæ duæ numerantur à Philosophis prioritates, nempe *prioritas subsistentiæ consequentiæ*, & *prioritas originis*: illa est, cum aliqua duo non se habent convertibiliter in subsistentiæ consequentiâ, seu quando non valet mutua consequentiâ utriusque ad se invicem, sed solum unius ad alterum, non è contrà: id autem à quo non valet consequentiâ, est hoc sensu prius. Hæc non est propria prioritas, cum hac ratione terminus sit prior actionis, qua producitur, valet enim, *est hac actio, ergo hi terminus*, non è contrà, *est hic terminus, ergo hac actio*, cum per aliam actionem produci idem terminus possit. *Prioritas originis* (quam S. Thomas & Theologi communiter ordinem potius quam prioritatem vocandum asserunt, nobisque ex principijs fidei innotescit) est dum Pater æternus producit Filium, cum omnimodâ tamen simultate temporis & naturæ unde non refugiunt Theologi dicere